B. SALIGNACO
ΑΚΡΟΣΤΙΧΙΣ.

B Arbaries, morum cenſura inimica bonorum
E xitio claris artibus eſſe ſolet.
R idet enim doctoſq; viros, vigileſq; labores:
N ec culti egregias pectoris ambit opes.
H æc animos dociles faſtidit peſtis, & artes,
A tq; ſuo ſpoliat nomine, honore, loco.
R ara igitur doctis numerantur præmia: rara
D octrinæ comes eſt gloria, rarus amor.
V nde tot eſt Logice perplexa erroribus? ipſa
S ordet, & eſt toto vilius orbe nihil.
S i ſpectes reliquas ſolidamque Matheſeos artem,
A rdua & immenſi plena laboris erit.
L audis amore tamen tenebræ hæ pelluntur, & ipſa
I ngenij eſt cultrix officioſa boni.
G loria digna tuos quoq;, SALIGNACE, labores
N obilis Aoniæ gentis alumne, manet.
A cceptum referet tibi nunc ſtudioſa juventus
C olligere ex falſis quod ſibi vera queat.
V tq; juves teneræ multos ætatis in harum
S udantes rerum cognitione, VALE.

C. ARNOLDI ESSENI.